



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Eustachius M. 20. Septembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

lutavit, Martyr etiam ipse futurus. Etenim ad annum Christi CCC. XLV. à Timotheo in furnum tertio jam die succensum coniectus est. Nimirum qui puerorum olim inter flammam modulos mirati sunt, magis nunc inter easdem senem Cygnum JANVARIUM obstupuissent, cui, ut omnibus numeris suis constaret musica, voces suas Angeli junxerunt. Innoxium itaque ex equuleo suspendi tyrannus imperat. Sed vel omnibus lacertis nervis fortis tamen paruit. Jam cum victorem victus ante currum Puteolos egisset, bravium scilicet speravit JANVARIUS. A cursu ad carceres reductus, familiarem suum illic Sosium reperit. Mox ad bestias damnatus virtute suâ omnes circumravit, præter Procons. qui cum capitis sententiam in Divum pronuntiaffet, oculis repente orbatus, tunc demum errorem suum vidit, jamque propitium Numen sibi à JANVARIO oravit. Sed diceres omnem, quam bestiæ posuerant feritatem, in unum judicem coisse. Vix enim JANVARIUS lumen ingrato reddidit, cum hic gladio illi abstulit. Aspexere tamen fidei lucem, quam videns videre respuit Timotheus, quinque millia hominum. Ex Baron.

Vacat tibi ut Philosophus sis; non vacat tibi ut Christianus sis? verte potius sententiam, verte facundiam: sis Dei Philosophus, & Dei vates, non querendo sed imitando Deum: sapiens, ut non tam lingua quam vita nuditus, tam disseras magna quam facias. S. Paulin. p. 35.

S. EUSTACHIUS M. 20. Septembris.

EUSTACHIUS, olim Placidus (cujus vel nomen Romani Imperii hostes debellabat) dum fe-
ras

tas sectatur, Christum inter cervi cornua conspicuum habet, domumque nobile venationis spoliū FIDEM portat. Ab eo tempore etiam Christiani Jobum suum habuerunt. Nam opes & familiam everfam mitto. Ab exilio exordior. In hoc conjugem impurus nauta sub oculis avehit, mox ipsos oculos (filios geminos) illum quidem leo, hunc lupus rapit. Jam ille tantorum nuper exercituum Imp. pecoris fit Dictator, classicum bubus canit, dux oves præit, baculo in lupos pugnat. Sed proditus demum à cicatrice, ad Traianum iterum, ad exercitus ab aratro abducitur. Et vide mihi sis fortunæ ludum. Merent sub illo Agapius & Theopistus, quos dentibus ferarum opiliones olim excusserant, ipsissimi filii EVSTACHII; hi dum alter alteri pueritiam suam narrant, & repente fratres se mutuò salutant, audit hæc è vicino mater (cujus pudicitia Deus consuluit, impio nautâ extincto) & utrumque ad ducem rapit, petitque, filios sibi vindicet. Hic insperato EVSTACHIUS pro se pronunciat, agnitusque & uxorem & filios sibi addicit. Victor deinde Romam ingressus, ipsos in triumphum Deos ducit. Dum enim his sacrificare renuit, ad bestias cum suis damnatur, innoxius denique tauro Phalaridis includitur. In hoc mugire ipsum alii credebant, sed ille fortunam ridebat. *Ex Surio.*

Judicaturō Domino lugubre mundus immugiet, adducetur cum suis stultus Plato discipulis, Aristotelis argumenta non proderunt. Tunc tu rusticanus & pauper exultabis & ridebis, & dices, Ecce crucifixus Deus meus; ecce judex qui obvolutus pannis in præsepio vagiit. S. Hier. ep. 1.